DE

MORBO BRIGHTII.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXIV. M. JULII A. MDCCCXLIII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

SCRIPTOR

HERMANNUS RING

SOLDINENSIS.

OPPONENTIBUS:

A. HIRSCH, med. et chir. Dr., med. pract.
M. JONAS, med. et chir. Dr., med. pract.
A. MUELLER, med. et chir. Cand.

BEROLINI,

TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

sis,

VIRO

ELEBERRIMO, ORNATISSIMO, HUMANISSIMO

J. L. TRUESTEDT,

DICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, PROFESSORI
E. IN UNIVERSITATE LITTERARUM FRIDERICA
ILELMA, BORUSSORUM REGI A CONSILIIS MEDI-
S SUPREMIS INTIMIS, COLLEGII SUPREMI AD RE-
NDAS RES SACRAS, MEDICAS ET INSTITUTIONEM
BLICAM, NEC NON COLLEGII EXAMINUM HABEN-
RUM SUPREMI SOCIO, INSTITUTI POLICLINICI DI-
CTORI, ORDINUM REGIORUM DE AQUILA RUBRA
CRUCE FERREA EQUITI, COMPLURIUM SOCIETA-
TUM LITTERARIARUM SODALI ETC. ETC.

NEC NON

VIRO

CELEBERRIMO, AMPLISSIMO, ORNATISSIMO

E. WOLFF,

EDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, PROFESSORI
E. IN UNIVERSITATE LITTERARUM FRIDERICA GUI-
ELMA, BORUSSORUM REGIA CONSILIIS SANITATIS PU-
LICAE INTIMIS, COLLEGII EXAMINUM HABENDORUM
UPREMI SOCIO, PRINCIPI MEDICORUM IN CHILIADE,
RDINIS REGII DE AQUILA RUBRA IN CLASSE QUARTA
QUITI, COMPLURIUM SOCIETATUM LITTERARIARUM
SODALI ETC. ETC.

RAECEPTORIBUS, FAUTORIBUS SUMME
COLENDIS

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

SUMMAE VENERATIONIS TESSERAM

DICATAS VOLUIT

SCRIPTOR.

PROOEMIUM.

n eligenda utili et tantorum virorum censu digna mate-
ꞩ dubius haesi diu. Multa enim medicinae campus
astus amplectitur, quae adhuc vel cruda vel plane in-
gnita tironis animum audacem alliciant, viresque haud
tis expertas incitent. Verum tamen juvenilibus viribus
ıde dignum aliquid effici, quis est, qui nesciat, quam
; difficile.

In his rerum angustiis mihi se offerebant illae ob-
rvationes, quas, viro Cel. Wolff duce, in Caritatis
socomio de morbo Brightii collegi; jam multa scripta
c de morbo legi et relegi et semper maximum studium
eo accuratius cognoscendo et perscrutando locavi.

Itaque in hoc opusculo nihil aliud mihi praestare pro-
sui, atque ut aliorum et experientissimorum quidem
edicorum sententias undique collectas optime mea ra-
ne referrem. Fieri tamen non potuit, quin observatio-

nes istae quoque, quibus nonnullis ipse sum gavisus, in eligenda et componenda materie duces mihi exstiterint.

Ceterum magnum mihi est gaudium, quod etiam hoc loco viris Illustrissimis **Truestedt** et **Wolff**, praeceptoribus meis dilectissimis fautoribusque plurimum colendis, qui benigno animo hujus opusculi mei dedicationem acceperunt, gratias quam maximas agendi occasio mihi praebita est pro omnibus humanitatis atque benevolentiae documentis, quae mihi in artis medendi studio duces et persaepe et amplissime dederunt. Grati animi vinculis iis adligatus, nunquam, dum vita manet, eorumdem memoriam pia grataque mente servare desinam.

Lectoris autem benevolentiae, si quem invenerint, has pagellas velim commendatas, nec minus eum rogatum, ne quid aliud hoc opusculum exhibere opinetur, nisi tironis in arte medica prima tentamina.

CAP. I.

Historia morbi.

Sicuti omnibus temporibus viri maximo ingenio praediti rationes quasdam corporis humani et in integro et in morboso statu sunt suspicati, quibus posteriores demum auctores accuratius investigantes et explorantes lucem attulerunt: eodem modo etiam morbus sic dictus Brightii novissimis temporibus quidem plane exploratus est, quamquam jam priore aetate medici sagacissimi in hydropibus quibusdam renes morbose affectos censuerunt, atque in cadaveribus dissecandis renum alterationes invenerunt; sed vel ex inepta exploratione vel ex structurae renis cognitione haud accurata, vel aliis ex caussis sibi ipsis morbi detegendi honorem detraxerunt.

Plurimis enim locis vetustiorum scriptorum medicorum cogniti morbi nostri vestigia reperimus. Jam Hellmont (1) in capite, quod de hydropibus agit, illas hydropsias, quarum caussae non satis expeditae sint, fontem

(1) Ortus medicinae. Amst. 1648. pg. 509.

habere in renum morbo suspicatur, et Bonet (1) casum hydropis ascitae communicat, in quo renis volumen et structuram alienata invenit; alio loco de aegroto narrat, qui hydrope mortuus sit, cujusque in cadavere secando renes lacteo colore invenerit. Eandem observationem Schenk (2) in homine fecit, qui hydrope ascita mortuus est. Cruikshank (3) narrat, se in hominibus quibusdam, qui hydrope laborarent, urinam invenisse se coagulantem, quasi sanguis esset, quum in aliis neque calore neque acido nitrico hanc conditionem detegere potuisset. Morgagni (4) de muliere hydrope affecta refert: „Laterales ventriculi non sine aqua intro effusa, ut in thoracis cavo, sic etiam in ventre aqua non defuerat. Ren uterque inaequali erat superficie et maculis albis hic illic qua subsidebat variegata."

Blackall (5) et Wells (6) primi fuerunt, qui medicos ad urinam in hydropsiis quibusdam albumen continentem attentos fecerunt; imprimis hic diligentissime urinas hominum, qui hydrope laborabant, chemice investigavit et saepissime eam albumen continentem invenit, nec non renum degenerationem, quamquam haud accurate, observavit et descripsit.

---

(1) Sepulcretum anat. seu anatom. pract. Lib. III. Sect. 21, Obs. S.

(2) Observat. médic. Chap. 177, pg. 866.

(3) Rollo, Abhandl. über d. Diabetes mellit. mit chem. Versuchen des Herrn Cruikshank über d. Urin u. Zucker. Aus d. Engl. v. Heidemann. Wien 1801.

(4) De sedibus et caussis morbos. Epist. XL. §. 21.

(5) Observ. of the nature and cure of dropsies. 1818.

(6) Med. chirurgical transactions. Vol. 3. 1812.

Richard Bright (1) denique diligentissime rei in-
ıbuit, ejusque operae et studio illius morbi cognitionem
ebemus, qui ejusdem nomine „morbus Brightii" designa-
s est; invenit nempe, plurimos hydropum casus a renum
generatione quadam dependere, eorumque hydropum
mptoma urinam albuminosam esse. Ex illo tempore
edici, praecipue Francogallici et Anglici, morbi nostri
turae investigandae operam navarunt, et jam materia
c de re scriptorum ante me accumulata documentum
t, quantam gravitatem hic renum morbus in pathologiae
stemate acceperit. Praeter ceteros, de hac affe-
ione rectius cognoscenda meritos, nominandi sunt:
regory, Christison, Andral, Tissot, Saba-
er, Osborne, Désire, Rayer, Graves, Glu-
, Forget, Martin-Solon, Rockitansky, Be-
ıerel.

CAP. II.

Synonyma.

Morbus granulosus (Bright) — Hydrops renalis
nderson) — Albuminuria (Solon) — Nephritis al-
minosa (Rayer).

CAP. III.

Sectio pathologica.

Sectiones in illis institutae, qui morbo Brightii labo-
unt, haec fere singulis in organis docuerunt:

(1) Reports of medical cases. Vol. I. 1827; Vol. II. 1831.

Renum degenerationes variae, quae ex gradu, quem morbus adeptus est, originem ducunt, et a singulis auctoribus vario modo describuntur.

Bright tres formas distinxit.

a) Forma prima. Ren solitam firmitatem perdidit; superficies externa flavo colore apparet, quem colorem incisura per renem facta, omnem substantiam corticalem pervadere docet, dum substantia medullaris fere statu adhuc sano invenitur. Omnino ren neque amplificatus neque alio modo morbose affectus apparet.

b) Forma secunda. Ren indurescit ejusque pars corticalis, superficie fere tuberculosa, variis locis texturam granulatam adipiscitur, quae materies opaco vel albido colore in interstitiis deposita est. Incisura longitudinal facta ren mollior invenitur, quam statu sano et in gradu provectiore volumen renis textura granulata aucta major fit; tunc illa textura etiam in superficie externa animadverti potest, nam haec multas parvas et inaequales eminentias habet.

c) Forma tertia. In hoc morbi gradu superficies renis externa inaequalis apparet; forma renis totius magis lobularis est, ipseque duritiem fere cartilagineam habet. etiam textus internus cultro resistens et simili duritie qua superficies externa invenitur.

Hanc divisionem alii medici Anglici secuti sunt. Rayer vero in opere praeclarissimo, quod „Traité des maladies des reins et des altérations" inscriptum est, sex renum alterationis species sejungit.

1) Renis volumen et pondus auctum, textura justo densior apparet, sed non dura sentitur, superficies externa rubro colore quasi punctata est. Incisura fact

ubstantia corticalis, quippe quae morbo prius afficitur uam substantia medullaris, injecta et paullulum tumefacta pperitur, dum substantia medullaris pallida est neque llas strias ostendit, quae in statu normali observantur. ncisurae, quae renes in lobulos quosdam dividere videnır, justo magis evolutae sunt, quasi renes vehementer ijecti sint (1). Tela mucosa et tubulorum uriniferorum t calycum injecta, tumefacta, mollior est et in canalibus uidum turbidum et urinosum invenitur. Fascia renis roprie rubefacta mollita est et facile a rene removeri otest. Praeterea super totum parenchyma parvulae maulae ecchymoticae propagatae apparent.

2) Species secunda. Volumen renis et pondus st idem, quod in specie prima invenimus, textura autem mollita est et alternatim anaemia et hyperaemia obserantur, item maculae rubrae flavo fundo conspiciuntur. ncisura facta substantia corticalis flavo vel albido colore pparet, substantia medullaris autem compressa est et olorem rubrum vel fuscum praebet.

3) Species tertia. Renes tumidi sunt et graviores uam in statu normali; per totum organum anaemia peripitur, substantia corticalis e rubro flavescens, substantia nedullaris fusca apparet; fascia propria opaca reddita et nollita est facillimeque a parenchymate detrahitur.

4) Species quarta. Volumen et pondus renis nagis auctum est quam in specie tertia. In superficie xterno flavo colore tincta permulta parvula, albida punta conspiciuntur, praecipue ad partem renis superiorem t inferiorem, omnino autem ista plana est neque ullam

(1) Andral, Cours de pathologie interne, pg. 289.

inaequalitatem ostendit. Incisura facta, substantia corticalis, quae inter pyramides posita est, tumescit, mollis est et pro illis maculis in superficie multae albae et irregulares striae cernuntur, quae ex granulis seminum papaveris vel acus capitis magnitudine compositae esse videntur et usque in substantiam medullarem penetrant, maxime autem versus partem periphericam et pyramidum bases expressae sunt. Haec species veram renum granulationem, uti Bright eam descripsit, designat.

5) Species quinta. Forma, quae omnino rarissima existit, in qua illae granulationes etiam sub fascia propria percipiuntur, ita ut superficies renis externa, quae in superiore forma (specie quarta) tantummodo maculata fuit, nunc inaequalis et, ut ita dicam, gibbosa appareat, quasi seminibus majoribus sit conspersa.

6) Species sexta. Renes diminuti, duri et inaequales reperiuntur; substantia corticalis tota granulata est et renis superficies adspectum verrucosum praebet.

Denique illa descriptio anatomica, quam Rokitansky (1) dedit, adnotanda est, qui quidem octo morbi gradus vel formas descripsit:

1) Forma prima. Renes adaucti, tumescentes apparent, majoris ponderis sunt, substantia corticalis fere tota conspicitur a fluido fusco infiltrata. In parenchymate multae maculae ecchymoticae observantur et pyramides eodem fusco colore tinctae sunt. Tela mollis est et sine labore diripitur; incisura facta fluidum fuscum, sanguinolentum effluit.

---

(1) Pathol. Anatomie. Bd. III. pg. 412. seqq.

2) Forma secunda. Renis volumen adauctum et ıbstantia corticalis fluido albido vel flavo infiltrato appa- ɩt, fundo flavo striae rubrae et ecchymomata animadver- ıntur: anaemia et hyperaemia alternatim singulos locos btinent. Textura renis mollior reddita est, sed non tam ollis, quam in prima forma fuit. Membrana calycum ucosa rubescit, mollis est et fluidum e flavo rubrum ntinet.

3) Forma tertia. Renes valde adaucti existunt, ıbstantia corticalis anaemica conspicitur et superficiem ıud inaequalem, nitentem habet; ipsa tumet et magna idi albidi vel flavi copia impleta est. Variis locis ex anulis seminum papaveris magnitudine constituta esse detur. Quae voluminis adauctio interdum etiam inter ramides locum tenet, ita ut hae maxime ad apices com- imantur. Fascia renalis opaca est et sine magna ope rene detrahitur.

4) Forma quarta. Renes semper valde adaucti et ıolliti apparent; substantia corticalis tumescit, paene ctuationis sensum praebet, tela omnino anaemia labo- t, facile dirumpitur et fluido quodam lacteo vel flavo pleta est. Granulationes majorem ambitum adeptae nt, ita ut magnitudine milii grana superent, superficiei ıis externae praemineant, qua ex caussa ren adspectum aebet varicosum.

Interdum haec degeneratio singulos renis locos obti- t et tunc granulationes uti brasscia prominentes, renis perficiem tuberosam et inaequalem reddunt. Granula- nes ipsae permolles sunt, et jam sub leviore digiti pres- ne facile dirumpuntur. Fascia renum adiposa soluta t, substantia pyramidalis colore anaemico gaudet, py-

ramides ipsae vix discernuntur, pelvis renum et calyces denique fluido lacteo impletae sunt.

5) Forma quinta. Renum amplitudo hac in forma non semper eadem est; interdum fere normalis apparet, vel majorem habet ambitum, vel justo minor observata est. Superficies externa granulata vel verrucosa est et inter singulas verrucas interdum profundae foveae, quasi incisurae vel cicatrices inveniuntur. Substantia corticalis hyperaemica, granulata, emollita est, vasa varicosa eam occupant; valde diminuta autem flavum habet colorem, anaemia laborat, ejusque tela quasi fibrosa et corio similis sentitur. Simul cystides variae amplitudinis in substantia corticali impositae observantur. Fascia adiposa semper densior reddita est et altero in casu soluta, altero reni adhaerens apparet. Pyramides fere obsoletae, densiores, colore fusco inveniuntur.

6) Forma sexta. Rene vix adaucto substantia corticalis singulis locis pallidior, fere flava conspicitur, fluido lacteo, albuminoso infiltrata et nonnunquam justo densior facta est. Fascia propria paullulum soluta, substantia pyramidalis, pelvis et calyces omnino normales reperiuntur.

7) Forma septima. Renes vix adaucti, interdum singulis locis corrugati, diminuti et densiores cernuntur. Substantia corticalis eadem fere est conditione, qualem in forma sexta invenimus; variis enim locis anaemica et materia quadam, albumini coagulato simili infiltrata, tela renis ipsius autem deleta reperitur. Eandem metamorphosin etiam singulae pyramides adeptae sunt. Fascia propria tumefacta et cum locis morbose affectis quasi in unum confusa est; renum pelvis et calycum parietes tumefacti apparent.

8) Forma octava. Renes rarissime quod attinet mplitudinem alienati, semper autem densissimi conspiciuntur. Substantia corticalis colore subrubro tincta est, plendorem cereum et magnam duritiem praebet, facillime irrumpitur et materia illa, albumini coagulato simili, inltrata est.

Posterius nobis disserendum erit, cujusmodi sub conitionibus hae singulae degenerationis formae observentur; unc autem adhuc restat, summam illarum explorationum, uae ope microscopii ad renum in morbo Brightii statum ccuratius investigandum institutae sunt, adjungere, quaım optimae a Valentin, Gluge, Hecht, Becquerel, novissimis temporibus ab Henle nobis traditae sunt.

Gluge (1) primus fuit, qui ad renes morbo nostro egeneratos accuratius investigandos perscrutatione miroscopica usus est, et quae detexit, fere haec sunt:

Ipse enim, incisura in substantiam corticalem facta, ıbulos uriniferos omnino integros invenit, corpora autem Ialpighiana et vasa sanguinis capillaria inflammatione fecta ei apparuerunt, quum globulos sic dictos compotos inflammatorios, et puris globulos in vasis ipsis et in la intercellulari observaret. Qua ex sententia degeneıtio renum in corporibus Malpighianis initium capit, a uibus ad vasa sanguifera, cum illis cohaerentia propaatur. Corpuscula rotunda fere globosa vasorum et corərum Malpighianorum contentum constituunt; attamen

---

(1) Casper's Wochenschrift. Jahrgang 1837. No. 38, 39 49. et, Anatomisch-microscopische Untersuchungen zur allg. spec. Pathol. 1838. Heft I. pg. 48—53.

non perpetuo in ordine vasa implent (qui status in provectiore morbi gradu observatur, in quo omnia substantiae corticalis vasa sanguifera his corpusculis refecta apparent), sed interstitia inter singulos globulos restant. Ista corpuscula Gluge habet globulos inflammatorios. Si sanguinis pigmentum cum parte serosa vel imbibitione vel parietum vasorum rhexi in tubulos uriniferos pervenit (quare etiam urina albuminosa et sanguinolenta, qualis inter vitam observatur, existit), tunc illis locis, quibus corpora Malpighiana apparent, maculae flavae exoriuntur, quae, materia pathologica accumulata, granulationem formam adipiscuntur, eademque ex accumulatione substantia corticalis adaucta esse videtur. Puris globulos minima copia et tantum illa conditione observavit, si substantia corticalis tota alterata apparuit. Substantiae medullaris vasa fere semper sanguine impleta, turgescentia et dilatata reperit.

Quibus ex rebus Gluge depositiones pathologicas sedem in corporibus Malpighianis vasisque sanguiferis habere putat, a qua sententia observationes, quas Valentin, Henle, Hecht instituere, valde abhorrent.

Valentin (1) scilicet neque in vasis sanguiferis neque in corporibus Malpighianis ne minimas quidem alterationes morbosas neque ullam vasorum contenti mutationem observavit; sed materies illa flava puriformis, quae ex globulis majoribus vel minoribus constituta esse videtur, tubulos uriniferos et quidem praecipue

---

(1) Repertorium für Anatomie und Physiol. 1837. pg. 290. und 1838. pg. 184.

contortos, minus rectos complevit; tubulorum ipsorum desorganisationem autem nunquam vidit.

Hecht (1) quoque, qui neque corpora Malpighiana neque vasa sanguifera morbose affecta invenit, tubulos uriniferos disjunctos et inter eorum spatia corpuscula ovalia, paene polygona, nunquam angulis lateribusque distinctis praedita observavit. Quae corpuscula sanguinis globulis duplo erant majora, opaca, colore flavescente; compressione vel acido acetico adhibitis lacerabantur magnamque globulorum rotundorum copiam effundebant. Num tubuli uriniferi ipsi degenerati essent, nec ne, non satis certum reddere potuit, quamquam lacerati et quasi abrasi esse videbantur. Puris globulos parva copia inter telam cellulosam sparsos vidit, quos magis fortuita inflammatione exortas esse censet. Arterias ipsas degeneratas censet, sed non tam laceratione, uti tubuli uriniferi, sed magis coarctatione.

Becquerel (2) solus est, qui observationes a Gluge nobiscum communicatas confirmat. Idem enim degenerationes renum in morbo Brightii observavit, quae semper eaedem erant semperque in corporibus Malpighianis locum tenebant; ista ejus ex opinione lympha quadam plastica impleta sunt, quo modo renis volumen adaugent et compressionem vasorum sanguinis capillarium et tubulorum uriniferorum adducunt.

Novissimae observationes, microscopice institutae in renibus morbo Brightii degeneratis, nobiscum communi-

---

(1) De renibus in morbo Brightii degeneratis. Diss. inaug. Berol. 1839.

(2) Séméiotique des urines etc. Paris 1841.

catae sunt ab Henle (1), qui eas in rene quinta circiter forma (ex descriptione formarum ab Rokitansky posita) degenerato instituit.

Henle igitur jam antea (2) observationes microscopicas hac de re divulgavit, illosque globulos a Gluge compositos inflammatorios nominatos cellulas habuit primarias, in quibus acido acetico adhibito nucleos observavit. Iisdem in cellulis substantiam pathologicam et quidem tuberculosam depositam esse censuit, quare illam renum granulationem nihil aliud esse putat, quam renum degenerationem ex infiltratione tuberculosa exortam.

Novissimae ejusdem auctoris observationes microscopicae haec fere docuerunt: Tubuli uriniferi valde coarctati apparuerunt, eorum contentum partim normale, partim ex materia quadam flavescente et cohaerente constitutum inveniebatur, id quod in cylindrorum forma exprimi potuit et aperte eandem habebat rationem, quam illa materies inter vitam in urina secreta observata habuit, quamque Henle fibrinam habet coagulatam. Mutationes autem notatu dignissimae in tubulorum uriniferorum interstitiis apparebant, imprimis in substantia corticali: hic enim parvula granula singula et accumulata nec non pingue depositum exstabant; illis locis, quo renes oculo haud armato flavescentes, condensati et quasi pure infiltrati apparuere, illae materiae in fasciculis parallelis et cruciatis positae erant, ita ut rete ex maculis composi-

---

(1) Züricher Zeitschrift. Bd. I. Heft 1.

(2) Ueber Schleim- und Eiterbildung in Hufeland Journal. Bd. LXXXVI. pg. 58—60.

ım ad tubulos uriniferos suscipiendos formare viderenır. Corpora Malpighiana omni modo sana et integra ıvenit. Quibus ex observationibus Henle censet, mutiones pathologicas maxime in fibrinae exsudatione ı tubulos uriniferos eorumque interstitia consistere; puris globulos, quum nullos inveniret, seriore orbi spatio formari putat et, si jam in morbi principio ı urina secreta invenirentur (sicuti in casu ab eo obserato), eos a membrana renum calycum mucosa coriri censet.

Quod spectat ad reliquorum organorum alterationes athologicas in morbo Brightii, notatu est dignissimum, uamvis renes ita degenerati essent, tamen ab Andral(1) unquam adhuc in apparatu urinam deducente statum orbosum observatum esse. Plerisque in casibus pleura orbose affecta erat, quam Bright in centum hoc morbo ortuis vicies sexies modo sanam reperit, omnino partim rioribus vel recentioribus adhaesionibus praeditam, parm serum quoddam continentem invenit, et in omnibus is casibus morbi historia illud spatium designare potuit, uo aegrotus pleuresia intercurrente laboraverat. —

Pulmones Gregory in casibus quadraginta octo viies ter morbose affectos conspexit, maxime tuberculosi aborantes, uti Andral (2) notat, qui in casibus septenecim septies illum morbum observavit; praeterea pulmois oedemate, bronchitide vel emphysemate laborantes visi unt. — Cor ex Brightii adnotationibus plerumque morosum invenitur, id quod Andral omni ex parte con-

(1) Cours de Pathol. int. pg. 290.

(2) l. c. pg. 290.

firmat, partim hypertrophiam aut dilatationem cordis, praecipue partis ejus sinistrae, partim valvularum vel semilunarium vel mitralium vitia conspicatus. — Hepar rarius statu morboso laboravit (ex Andral in casibus sexaginta quinque tantum vicies bis) interdum autem eodem modo, quo renes, granulatum fuit: qua ratione Canstatt (1) recte notat: „Nieren und Leber scheinen hier in einem Gegensatze zu einander zu stehen; während man bei Wassersucht mit organischer Alteration der Leber keinen coagulablen Harn findet, bleibt die Leber andererseits in der Brightschen Krankheit meist unverändert.“ — Splen saepe tumefactus vel hypertrophicus, durus et colore albido tinctus observatus est, id quod ex Andral (2) opinione haud magni momenti esse videtur: „car,“ ait, „dans quel cas cet organe singulier ne subit-il pas quelque altération?“ — Fere semper hydropsiae repertae sunt, aut anasarca (interdum aquae loco materia gelatinosa in tela cellulosa subcutanea deposita apparuit), aut suffusio serosa in membranas serosas, maxime in peritonaeo, pleura, pericardio, arachnoidea, in quo fluido Babington et Anderson ureani detexerunt.

CAP. IV.

Morbi descriptio.

Ad morbi decursum ejusque symptomata accuratius describenda formam acutam et chronicam sejungere, haud ineptum videtur.

---

(1) Specielle Pathologie u. Therapie. Bd. I, pg. 172.
(2) l. c. pg. 291.

1) Forma acuta.

Ferme semper febris vehemens ingruit, quam urinae sco vel rubro colore tinctae vel sanguinolentae secretio quitur, quae postea sedimentum rubrum ex fibrina et bumine coagulatis consistens et sanguinem continens nit. Foetor urinae vix normalis percipitur, interdum iam omnino deest, vel carnis juris odori similis est; actio eximie acida invenitur, interdum neutralis, rarissime calica, et quod attinet quantitatem urina rarissime eanem habet rationem, quam potus sumptus; saepissime minuta est; quo copiosior urina emittitur, eo pejor proosis ponenda est (1). Symptoma morbi Brightii grassimum, quod ex urinae conspectu sumitur, albumen in contentum evadit, quod acido nitrico vel calore adhiito detegitur. Duobus vel tribus diebus praeterlapsis arior fit, in exacerbationis tempore autem rursus profunius tingitur eandemque rationem in albuminis quantitate stendit. Ureae et salium, quae urinae insunt, quantitas hac forma vix (ex Gregory opinione nullo modo) iminuta est. Aegrotus fere nullum dolorem nisi cephaleam frontalem (quod signum Cel. Wolff frequentissinum perhibuit), aut interdum fortiore sub manus pressu regione lumbali aut in urina emittenda exorientem acusat; nunquam autem illa symptomata ex sympathia rta, qualia in aliis renum morbis obvia sunt: testes ttracti, dolores pungentes in ureteribus et caet. apparent.

---

(1) Canstatt l. c. pg. 165.

Andral notat, dolorem saepius in regione epigastrica ex hypochondriaca dextra sentiri et tunc semper ab hepatis pathemate dependere. In forma acuta celerrime hydrops locum tenet, qui, uti in forma chronica, fere semper oedema faciei, rarius pedum incipit et mox totius corporis anasarca redditur, eoque celerius secundum Cel. Wolff existit, quo magis urina erat fusca. Interdum autem haec hydropum symptomata desunt vel solum oedema faciei observatur; praeterea singularem illum habet rationem, ut facillime alterum locum deserat, alterum occupet (Hydrops vagus). Cutis in hoc statu fervet et siccescit — et permagnam resistentiam digito prementi opponit; rarissime sudores singulis corporis locis, capite, pectore manibus observantur. Febris est vehemens, cum pulsu magno, pleno, plerumque molli, quae indoles in morbi decursu ad virium consumtionem neutiquam quadrat. Aegrotus magnam pectoris oppressionem et tussim accusat, et semper fere digestionis functionum perturbationes consensuales comparent: vomituritiones, dyspepsia, etiam diarrhoea, quae symptomata praecipue Gregory et Christison adnotant, dum Andral (quamquam minore jure) curationis sequelas habere vult.

Venaesectione instituta sanguis magnam crustam inflammatoriam praebet, eoque minorem albuminis quantitatem continet, quo major albuminariae adest; interdum etiam urea in isto invenitur. Omnes hae mutationes in sanguinis conditione non sunt tantopere in forma acuta expressae, quam in chronica observantur. Cum ista quo-

---

(1) l. c. pg. 286.

ıe morbi forma acuta saepius quam cum chronica mem-
ıanarum serosarum vel pulmonum inflammatio compli-
ta est.

II. Forma chronica.

Chronica morbi Brightii forma vel ex acuta supra
scripta evolvitur, vel statim decursu lento morbus chro-
cus progreditur. Albuminuria primum est symptoma,
ıod in ea observatur, et Osborne auctore ex majore
l minore albuminis quantitate in urina detecta status
orbi plus minusve provectus concludi potest. Huic
inae peculiares sunt illae ab Andral et Tissot ob-
rvatae vesiculae, quae in urinae superficie et ad vasis
inam continentis marginem conspiciuntur. Optime illa
ina ad perscrutationem utuntur, quae ante coenam
nissa est. Urina colore pallido tincta, interdum serosa
pparet, persaepe autem opalescit, ejus pondus specificum
ope semper diminutum, reactio saepissime acida, rarius
eutralis, rarissime alcalica reperitur; ureae quantitas di-
idia, imo quinta normalis quantitatis parte minor est;
inae quantitas eadem qua in morbi forma acuta obser-
ıtur ratione, in ultimo autem morbi stadio copia saepe
a est diminuta, ut catheteris ope vix singulae urinae
ıttae excernantur.

Dolor in regione lumbali fere nullus est et ab ae-
roto tunc interdum accusatur, si vehementiorem pressio-
em illae regioni applices; cephalaea hac in forma chro-
ica multo rarius aegrotus laborat, quam in morbi specie
cuta.

Stadium morbi secundum symptomatum hydropis introitus indicat, qui interdum pluribus mensibus demum praeterlapsis locum tenet, sed jam una cum albuminuria intrans observatus est. Etiam in hac forma saepissime primum oedema faciei, palpebrarum inferiorum adest, quod deinde anasarca super totum corpus propagatur, et in rarissimis istis formis oedematis mammae et glottidis observatur; interdum autem ascites vel hydrothorax vel hydropericardium intrant; perraro denique hydrops ventriculorum existit, quem epilepsiam provocantem in Clinico Ill. Wolff me vidisse memini.

In hoc morbi stadio (cujus initium non semper accurate cognosci potest) alia quaedam symptomata memoratu dignissima in locum veniunt: prae omnibus cutis functio omnino sublata est. Tum autem illae sanguinis mutationes in forma acuta jam notatae observantur, praecipue urea in eo reperitur, qua intoxicationis symptomata efficiuntur. Aegrotus nempe capitis dolorem accusat, postea deliria et coma intrant, quae intoxicatio ipsa etiam mortem adducere potest. Reliqua symptomata, uti digestionis perturbationes, pulmonum affectiones, eadem sunt, quae jam supra commemoravimus.

CAP. V.

Morbi decursus et exitus.

Morbus Brightii, uti jam dixi, decursum acutum aut chronicum habere potest. Illa ratione subito oritur e[t] rapide aegrotum subigit; hac valde insidiose intrat e[t]

nptomatibus haud gravibus initio medicum facillime
ere potest; plerumque complures menses perdurat, sed
am per annos persistere potest, quo in decursu sana-
nis simulatae intervalla observantur; mox vero omnia
nptomata redeunt semperque vehementiora fiunt.

Morbi exitus sunt:

1) In sanationem perfectam. In forma acuta exitus urinae et cutis crisibus perspicuis indicatur; resertim urina majore copia emittitur et magis magis-e qualitatem normalem adipiscitur. Forma chronica nper lysi solvitur.

2) In sanationem imperfectam (1). Renes vel atrophiam vel in indurationem abeunt; interdum vasa nguifera varicose reddita reperiuntur, tela cellulo-fibrosa condensata apparet et renum calyces et pelvis corru-tae conspiciuntur.

3) In mortem. Hic finis vario modo adducitur: t cerebri intoxicatione per uream in sanguinem rece-am (capitis dolores, coma, deliria, convulsiones locum nent, denique tetanus exoriri potest); aut hydrope (in-mis effusionibus serosis in majores corporis cavitates l in cerebrum, medullam spinalem vel pulmones); aut is morbis, quibuscum morbus Brightii complicatus est hthisi pulmonum, pneumonia, cordis vitiis, aliis); ra-ssime febris hectica scenam claudit.

Si aegrotus ad sanationem reducitur, tumor oedema-sus aliaque hydropis symptomata evanescunt, urina co-rem normalem adipiscitur et substantiae ei peculiares,

(1) Rokitansky l. c. pg. 422.

praecipue urea et salia, rursus in ea inveniuntur. Si aegrotus interit, necroscopia post acutum morbi decursum illas docet mutationes in renibus, quas Rokitansky sub forma prima, Rayer sub forma prima et secunda, descripserunt; post chronicum autem decursum istas, quae ab illis viris sub caeteris morbi formis accuratius consignatae sunt; nec tamen praetereundum est, formam secundam, tertiam et quartam ab Rokitansky notatam interdum claram propensitatem ad decursum acutum habere.

CAP. VI.

Diagnosis.

Medici priores in quaque albuminuria morbum Brightii cognoverunt, recentiores autem explorationes, praecipue a Rayer et Andral institutae, albuminuriam multorum aliorum pathematum symptoma observari, quin etiam in hominibus omnino integris interdum reperiri docuerunt. Haec igitur momenta sunt, quae morbi Brightii diagnosin certiorem reddére possunt.

1) Omnibus aliis in morbis, ex quorum symptomatibus albuminuria observatur, ureae quantitas semper normalis invenitur, dum in morbo Brightii semper diminuta est.

2) Albuminis in urina contenti copia aliis in morbis non semper eandem habet rationem, sed fluctuat, modo invenitur, modo plane deest et posterius redit; in morbo Brightii ejus ratio semper eadem manet et stadio demum sanationis albuminis copia diminui incipit.

3) Hydrops cum albuminuria complicatus, vitiis cor-
; fortasse exceptis, nunquam invenitur, nisi in morbo
ightii, quum aliis in morbis hydrops in stadio ultimo
mum reperiatur, in nostro autem morbo symptomatum
e primum observetur.

4) In omnibus aliis renum pathematibus dolor omnino
hementior sentitur, quam in morbo Brightii, in quo
grotus eum vix accusat; pariter in nostro morbo nun-
am illa signa sympathica, renum morbis peculiaria, quae
organis genitalibus existunt, observantur.

Quod pertinet ad dignosin formae acutae morbi
ightii et chronicae, primum reactio universalis respicienda
t, quae in specie acuta plerumque characterem erethico-
nochalem, in chronica torpidum prae se fert vel omnino
est; porro urinae color et natura, denique digestionis
rturbationes et cerebri affectiones, quae in forma chro-
:a magis pronuntiatae sunt, ab auctoribus nonnullis
olon) huic peculiares esse dicuntur.

CAP. VII.

Aetiologia et Pathogenia.

Momenta ab auctoribus „causae praedisponentes et
casionales" nominata nobis respicientibus jam satis pa-
, quam exigua morbi nostri naturae cognitio sit. Una
demque caussa tum praedisponens, tum occasionalis,
am pro morbo ipso habita est; e. g. tuberculosis, quae
Andral opinione caussam praedisponentem ponit; secun-
m alios autem scriptores morbus Brightii nihil aliud nisi
num tuberculosis ipsa existimandus est.

Omnino haec momenta ad morbum evolvendum valer videntur:

1) Sexus. Ex observationibus, quas Tissot collegit, sexus masculinus saepius morbo Brightii laborare dicitur, quam sexus femineus, ita ut quattuor aegrotorum mares tres et femina una inveniantur.

2) Aetas. Maximus aegrotorum numerus inter tricesimum et quadragesimum quintum vitae annum versatur sed pueri quoque morbo laborantes observati sunt.

3) Spirituosorum abusus. Praesertim cerevisiae diureticae abusus ad morbi evolutionem valere videtur.

4) Cutis functio suppressa, quae ex multorum auctorum sententia maximam vim ad morbum nostrum procreandum habet. Bright hanc rem jam tetigit, Osborn autem primus hanc caussam accuratius investigavit et adnotavit, ejusque cum observationibus Andral, Rokitansky, alii consentiunt. Andral (1) dicit: „Le plus souvent, lorsque les malades se rapellent leurs antécédents ils nous apprennent, qu'ils se sont exposés au froid, à l'humidité, ou qu'ils ont bu abondamment de l'eau froide lors-qu'ils étaient en transpiration......... Nous devons à l'influence de l'humidité et du froid, joindre celle du mauvais régime et parfois du manque de nourriture ce sont deux ennemis, qui ne sont que trop souvent conjurés contre le pauvre et l'artisan.“ — Mirari igitur non possumus, quod plurimi morbo Brightii aegrotantes illis in ordinibus, qui sese humido et frigido aëri exponere coacti sunt, morbum ipsum autem in illis regionibus quae coeli varietate et nebulis excellunt, invenimus.

5) Dyscrasiae quaedam, maxime scrophulosis

(1) l. c. pag. 291.

rcinosis. Quomodo haec res sese habeat, postea accu-
tius declarare conabor.

Quibus omnibus collectis quaeritur, quae sit morbi
righti natura? — Opiniones valde inter sese discrepan-
s pronuntiatas habemus, quamquam renum degeneratio-
m esse primarium malum, hydropem secundarium, inter
nnes constat. Quomodo autem haec degeneratio gigni-
r? Quae est caussa hydropis? Qui albuminuria oritur?

Quod degenerationis attinet naturam, Bright, Gluge,
ayer et multi alii morbum inflammationem nominarunt
degenerationem inflammationis productum habuere.
enle illam pro infiltratione tuberculosa in renum paren-
yma habet, et simili modo Rokitansky (1) morbi evo-
tionem explicat. Hic enim sanguinis dyscrasiam quan-
m exhibet, quae in renibus locum tenens materiam
ccantem, ut ita dicam, in iis deposuit: quae depositio
leriter progrediens formam acuti morbi prae se fert ac
hementiorem reactionem et localem et universalem exci-
t, lentius autem prodiens chronici morbi speciem praebet
in decursu characterem magis torpidum habet. — Nunc
tem quaestio est quae sit haec dyscrasia?

Dubitare non possumus, renum degenenerationem esse
buminosam; num eadem sit, quae scrophulosin vel tuber-
losin nominemus, uti Henle suspicatus est, an alia
aedam dyscrasia haud satis cognita, quae albuminis for-
atione in sanguine, fibrinae copia diminuta, excellat, non
tis exploratum habemus. Materia in renum parenchy-
ate deposita, natura sua et chemica et microscopica ma-

---

(1) l. c. pag. 419.

teriae tuberculosae simillima est et hac sola in re ab ea differt, quod non emollitur et solvitur.

Ubi fons hujus dyscrasiae sit, hoc cognoscere frustra adhuc studui; illud autem minime praetermittendum esse videtur, saepissime, uti Andral notavit, morbum Brighti cum pulmonum tuberculosi complicatum observari, qua re opinio eorum, qui renum degenerationem in morbo Brighti nihil aliud nisi renum infiltrationem tuberculosam aestimarunt, probata esse videtur. Omnino illae caussae morbi, quas supra commemoravi, minus ad renum degenerationem quam ad sanguinis dyscrasiam efficiendam valent. — Albers (1) novissimo tempore ad conclusionem deductus est, auctores permultos renum morbos sub morbi Brighti nomine descripsisse, id quod maxime ex illis observationibus, quas Baucek (2) foras dedit, patet. Albers l. c. censet, omnes fere morbos, qui materie quadam deposita vel hyperaemia excellant, renum formationem jam primitus granulosam reddere adauctam, ita ut verae granulationes existant. Quum autem scrophulosis, tuberculosis, imo carcinosis, si infiltrantur, hanc formationem parent, perspicuum est, omnes hos morbos istam renum degenerationem efficere posse. Huic opinioni nihil re vera obstat, quia hydropis symptomata semper exoriri, simulac renes granulati reddantur eorumque functio sublata sit, posterius appa

---

(1) Canstatt, Jahresbericht über die Fortschritte der gesammten Mediz. Jahrgang 1841. Pathologisch anat. Leistungen pag. 13.

(2) Oesterreich. med. Jahrb. Bd. XXXVII.

bit. Eandem fere opinionem nuperrime Graves (1) onuntiavit.

Restat nunc, hac re absoluta, accuratius explorare, omodo alia morbi Brightii symptomata exoriantur, quae-e eorum ratio sit. Primum nobis de albuminuria est endum, quae quomodo evadat, facile cognosci potest, uum opinioni eorum accedamus, qui in morbo nostro scrasiae albuminosae localisationem in renum parenchy-ite accipiunt. Nam quum renum functio sublata sit, rum vis catalytica etiam nulla reddita est, et pars san-inis serosa, qualis ad urinae secretionem in renes per-nit, fere immutata excernitur.

Hydropem denique Sabatier suspicatus est ex anae-a exoriri, quae per dyscrasiam adducta et per albumi-s excretionem adaucta in morbo Brightii apparet et ex-dationis serosae ansam praebet, qui processus permul-aliis in morbis, in quibus status anaemicus observa-, uti in chlorosi, saepissime invenitur.

CAP: VIII.

Prognosis.

Morbus Brightii sine ulla dubitatione morbus haben-s est periculosissimus et ex Brightii ipsius opinione ene insanabilis existimandus, quum inter viginti quat-or aegrotantes duodeviginti amitteret. Christison tem et Osborne meliorem successum observarunt; sub erius cura ex septem aegrotis quattuor, sub alterius

(1) Dublin Journ. 1842. Januar.

inter triginta sex tantum novem interierunt. Omnino periculum, quod morbus affert, non tam a renum desorganisatione, quam a complicatione cum aliis morbis, praecipue cum pulmonum tuberculosi dependere videtur, uti Andral (1) suspicatus est. Primi gradus morbi meliorem reddunt prognosin serioribus, qui semper malam prognosin statuunt.

Bona signa haec sunt habenda: Urinae secretio aucta ejusque qualitas normalis reddita, imprimis si ureae copia major, albuminis minor apparet. Quum hydropis symptomata evanescant, urinae natura non mutata, sanatio haud perfecta est existimanda semperque recidivae timendae sunt.

Pro infausto habendum est, si albuminis copia in urina aucta, secretio ipsa diminuta apparet; porro crebriores recidivae, dyscrasia quaedam universalis distincte pronuntiata et cutis functio omnino sublata prognosin admittunt pejorem. Si complicationes cum aliis morbis pulmonum vel hepatis praecipue acutis, vel pulmonum tuberculosi, locum tenent, vel si morbus istos homines invadit, qui spirituosis abusi sunt, casus est periculosissimus, si qua absolute lethalia cerebri affecti symptomata habenda sunt.

CAP. IX.

Therapia.

Ex illis in capite de Aetiologia et Pathogenia morbi prolatis sententiis indicationes ad morbi curationem nobis

---

(1) l. c. pg. 293.

ıacendae sunt. Difficultates autem, quae ex conatu, hanc ırtem satis certam reddere, evadunt, uni cuique aperte ucebunt; nemo enim negaverit, morbi nostri naturam lhuc cognitioni minus claram factam esse, ita ut nullo odo indicationes stricte ponantur.

Quod primum ad curam causalem pertinet, illa mo-enta, quae dyscrasiae exoriundae ansam praebuere, ac-ıratissime investiganda et si adhuc valent, removenda ınt. Huc pertinet praecipue cachexia potatorum et cu-s functio suppressa.

Omnes fere scriptores consentiunt, remedia diaphoretica interne et externe adhibita ad morbum sanandum persaepe ıtisfacere, et Osborne, qui methodi suae optimum ha-ıit eventum, his remediis fere solis in morbo Brightii; ıperando usus est. Ipse curationem hoc modo instituit. Primum Inf. Sennae suppeditat, tum balnea calida, iam vaporaria adhibet, et interne primum antimonialia, ım, si haec non sufficiunt, spiritum Mindereri magnis osibus cum sulphure et vino Ipecacnanhae conjunctum ırrigit. Quibus remediis vane adhibitis cuteque adhuc ecca remanente, Tr. Guajaci ammoniatam administrat, ıacum, si opus est, camphora et ammon. carbon. con-ıgitur. Extremitates, si omnibus his medicamentis sup-editatis sudor in iis non apparet, natr. muriat. fervente gi vel fricari et scopulis verri, et si singulis locis su-ır conspectus est, partes siccas pluries de die infuso m. Sinap. fricari jubet. Soer (1) sanationes nonnullas ı clinico Bonnensi ex usu tart. stib. cum spirit. Minde-

---

(1) In Osborne, Path. et Therap. der Wassersuchten, s Deutsche übersetzt. Leipzig 1840. pag. 160.

reri conjuncti, assarumque sudationum nobiscum communicat. Eadem ex ratione etiam pulvis Doweri suppeditatur. Ill. Wolff tantam laudem remediis diaphoreticis (praecipue assis sudationibus) tribuere non potest; quia multis in casibus in usum vocata non solum morbum non sanaverant, sed etiam ejus progressibus ne impedimentum quidem attulerant. Directe igitur Audral (1) ei oppositus est, qui vaporaria remedium efficacissimum habet.

Quod ad curam spectat morbi, remedia sunt adhibenda, quae sanguinis dyscrasiam suppositam corrigant et removeant; qua ratione Jodum, Hydrargyrum, Ferrum, Alcalia et Acida (2) porrecta sunt; attamen observationum adhuc tam paucae sunt communicatae de horum remediorum in morbo Brightii effectu, ut certi quid de iis dicere haud liceat.

Canstatt, mea quidem ex sententia, aptissime Oleum jecoris Aselli proposuit, quod remedium omnibus aliis in morbis, qui dyscrasiam albuminosam habent fontem, optimo cum effectu adhibitum est.

Deinde nobis de cura symptomatica disserendum est, quae ad duas partes tendit: ad renum statum morbosum et ad hydropem.

Quod ad renum degenerationem attinet, reactio localis interdum sanguinis depletiones et locales et ipsas uni-

---

(1) l. c. pg. 293.

(2) Hansen (Rhein. Correspond. 1842, No. 20) et Bright (Guy's Hospital Reports April 1840) acidum nitricum laudant, quorum ille drachm. dimid. usque ad integram in Decocto rad. Althaeae cum spir. nitr. aeth. conjunctam dedit.

rsales ex reactionis charactere postulat, quae quidem
ximo in morbi initio et in decursu morbi acuti aptis-
ne instituendae et optimo cum effectu saepius iterandae
ut. Ceterum ex minoribus vel majoribus inflammationis
gnis, uti ex doloribus, urinae conditione, imprimis ex
us colore sanguinolento et albuminis quantitate; tum
nique ex reactione universali, i. e. ex febre, sanguinis
ttendi copia indicatur. Si venaesectiones vetitae sunt,
m depletiones locales vel hirudinibus vel cucurbitis
uentis fieri possunt. Eadem ratione etiam methodus
rivans in usum vocata est: scarificationes, setacea, in-
ctiones cum Ung. e. Tart. stib., imo vesicantia appli-
ntur. Rayer ung. Hydrarg. cum Jodo juncto, sed
e ullo successu usus est. Haec vero methodus in
ovectiore demum morbi stadio apte adhiberi potest.

Ad hydropem superandum methodus evacuans per
nes (remediis diureticis) instituitur. Remedia diuretica
nonnullorum scriptorum ob-ervationibus bonum ha-
erunt effectum (Christison, Bright), qua ratione
lia diuretica, uti tartarus depuratus, Natron et Kali ni-
cum, Kali aceticum, porro Colchicum, Digitalis, Uva
si, etiam Cantharides in usum vocata sunt. Et Ill.
olff ex remediis diureticis faustum vidit successum,
erumque quamdiu cura therapeutica valuit, Infus. hb.
gitalis cum Nitro depurato et Cremore tartari porrexit.
ayer et Huss decoctum rad. Armoraciae valde efficax
dant et ille ex ejus usu in duobus morbo Brightii la-
rantibus celerem sanationem observavit, quem eventum
. Wolff hoc ex remedio nunquam assecutus est.
ight tartarum depuratum, ne diarrhoeam efficiat, cum

Hyoscyamo et Opio conjunxit, et omnes fere medici, remediis eccoproticis utamur, valde praemonent (1).

Paracentesis abdominis ad aquam ex peritonaei sac evacuandam nullo modo indicata esse potest, quamqu nonnulli medici eam suaserunt.

Complicationes, quae in morbi decursu exoriant ex natura sua curandae et intentissima cura morbi re divi respiciendi sunt.

---

(1) Andral l. c. pg. 294.

V I T A.

Natus sum Fridericus Hermannus Ring anno
s saeculi XVII patre honestissimo Augusto et
re dilectissima Friderica e gente Sohns, quorum
mque Deus Optimus Maximus diu mihi conservet.
fessioni evangelicae addictus sum. Litterarum clemen-
in scholis privatis imbutus, inde a duodecimo aetatis
celeberrimum gymnasium frequentavi regium Joachi-
am, quod adhuc sub auspiciis rectoris Cel. Meinecke
et. Maturitatis testimonio instructus medicinae studiis
ram daturus, anno MDCCCXXXVII celeberrimam
am academiam Fridericam Guilelmam adii et ab Ill.
sch, t. t. rectore magnifico, civium academicorum nu-
o adscriptus; apud Ill. Mueller, t. t. medicorum or-
s Decanum spectatissimum, nomen professus, hisce
lis interfui:

Ill. Hecker medicinae encyclopaediam et methodo-
iam nec non historiam medicinae me docuit; Ill.
lemm osteologiam, splanchnologiam, syndesmologiam
natomiam organorum sensuum; Ill. Mueller anato-
m universam corporis humani, anatomiam comparatam,
tomiam pathologicam nec non physiologiam, qui idem
Ill. Schlemm cadaverum rite dissecandorum arte
instruxit; Ill. Mitscherlich chemiam experimenta-
; Cel. Magnus physicen; Ill. Kunth botanicen; Cel.
rmeister historiam naturalem medicam; Ill. Tren-
enburg logicen; Ill. Steffens psychologiam; Exp.
nsee psychologiam medicam; Ill. Link pharmacolo-
n; Beat. Osann materiam medicam; Ill. Ehrenberg
siologiam comparatam infusoriorum et entozoorum;
. Henle anatomiam generalem; Cel. Eck pathologiam

generalem et semioticen; Ill. Casper pathologiam et therapiam specialem; Cel. Kluge chirurgiam generalem nec non fracturas ossium et luxationes; Cel. Kluge et Ill. Froriep akiurgiam cum exercitationibus practicis; Cel. Romberg diagnosin et nervorum morbos; Ill. Busch artem obstetriciam et theoreticam et practicam; Ill. Wagner medicinam forensem.

Exercitationibus clinicis interfui et auscultando et practicando, medicis Cel. Wolff, Ill. Schoenlein, Cel. Truestedt, Cel. Barez; Beat. Osann chirurgicis et ophthalmiatricis Beat. Rust, Ill. Dieffenbach, Ill. Juengken; obstetriciis Ill. Busch.

Quibus omnibus viris Illustrissimis, Clarissimis, Amplissimis, optime de me meritis, gratias ago et habebo quam plurimas.

Jam vero tentaminibus et philosophico et medico absolutis, nec non examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite superato, spero fore, ut dissertatione thesibusque defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Scrophulosis et Tuberculosis idem est morbus.
2. Generationem aequivocam nego.
3. Febres essentiales negari non possunt.
4. Obstructiones alvi, quas typhus abdominalis in stadio reconvalescentiae relinquere solet, medicamentis catharticis tollere non licet.

NARROW GUTTERS
(1-2 CHARACTERS
LOST ON
SEVERAL PAGES)